



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXIV. De Congregatione Fabricæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

722 De Congregatione Fabrica  
natis fieri solet- De Luca Rel. Rom. Cur.  
disc. 21.

CAPUT XXIV.

De S. Congregatione Fabri-  
cæ, ejusque Tribunali.

1. Julius II. concessit gratias iis, qui conferunt ad  
structuram templi S. Petri, & constituit Com-  
missarios, qui eleemosynas colligerent.
2. Quorum facultates auxit Leo X.
3. Clemens VII. eas temperavit & instituit Col-  
legium 60. virorum pro curanda fabrica.
4. Cui amplas concessit facultates & privile-  
gia.
5. Judicis causarum Fabricæ ampla facultas.
6. Ab eo appellatio solum datur ad Collegium.
7. Aliæ facultates Judicis & Collegii.
8. Præsidens Collegii est Archi-Presbyter san-  
cti Petri.
8. Præter ordinarios Officiales instituit Clemens  
VIII. Congregationem Cardinalium; ideo due  
sunt Congregationes Fabricæ major & mi-  
nor.
10. & 11. Quod sit Officium congregationis.
12. In utraque Congregatione tractantur con-  
tentiosa, & æconomica.

13. &

Cur. 13. & 14. Contentiosa quo ordine tractentur.  
15. Congregatio non attendit præceptum Testatoris.

•1

UT Principis Apostolorum Basilica Vaticana in Urbe, quæ ob vetustatem reparatione indigebat, restauraretur, & in ampliorem augustioremque formam dilateretur, concessit Julius II. Const. 24. Liqueat iis qui pro Basilicæ huius Structura eleemosynas aut operam offerrent, de thesauro Ecclesiæ facultates, gratias, donaque spiritualia. Eum in finem constituit Commissarios diversis in locis, qui piorum eleemosynas, & oblationes colligerent; Nimirum Hieronymum Torniellum Ordinis Minorum citra Montes in viginti quinque Provinciis, cui demortuo postmodum subrogatus est Franciscus Zano, quo pariter vita functo post alios quosdam minori cum potestate delectos Timotheum Lucensem, & Alphonsum Martritensem ejusdem Ordinis successisse tradit Wadingus tom. 8. *Annal.*

2. Horum Commissariorum, qui Vicarii titulum gerebant, facultates ampliavit

pliavit deinde Leo X, ut exequiquo-  
que possent pia & incerta legata, seu di-  
spositiones fidelium, & ex iis partem ad  
inchoatam à Julio Basilicam promovendam  
applicare. *l. 3. Diplom. Leonis & l. 1.  
& 2. Diplom. Secretorum Sadoleti apud Pallav.  
l. 1. Hist. c. 3.*

3. Verum Clemens VII, temperando  
concessas à Prædecessoribus suis Vi-  
cariis illis seu Commissariis facultates,  
instituit Collegium 60. Virorum Curia-  
lium ex quacumque Natione, qui ejus-  
dem Fabricæ curam & administrationem  
habeant, quibus plurimas dedit facultates  
& Privilegia. *Const. 3. Admonet.*

4. Nam in primis hoc Collegium, om-  
nesque in eo personas eximit ab omni  
jurisdictione & potestate cujuscunque  
sit dignitatis & Officii, sibi que soli sub-  
jicit. Deinde facultatem eidem conce-  
dit deputandi Judicem, & cognitionem  
causarum interesse hujus Fabricæ con-  
cernentium; Asservandi omnes eleemo-  
synas, oblationes & donationes operi  
istius Fabricæ impendendas; Cum debi-  
toribus Fabricæ transigendi, Collectores-  
que ad exigenda legata deputandi,  
& pecunias inde collectas in Fabricam  
exponendi.

5. Porro

5. Porro prædicti Judicis causarum Fabricæ facultas erat amplissima cum consilio peritorum causas quascunque huic pertinentes cognoscendi, ac debitores cujuscunque essent Dignitatis, gradus vel Conditionis præsentis in curia manu regia absque tela judiciaria, etiam singulis diebus, & tempore quarumcumque Feriarum, non tamen ad DEF honorem indictarum, etiam absente Pontifice & Sede vacante citandi & judicandi; Nec non contra Capitula, Collegia, Communitates & Universitates detinentes personas, res & bona ad dictam Fabricam spectantia, si ea non restituerint, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia procedendi.

6. A sententia dicti Judicis ad ipsum solummodo Collegium dabatur appellatio, & ut statuit Pius V. unica tantum, Mandata vero illius à quocunque executioni danda erant, & nullatenus impediri debebant, sicuti nec impedientia erant nec occultandæ dispositiones in favorem Ecclesiæ factæ.

7. Ad hæc duæ sententiæ conformes constituunt rem judicatam pro hac Fabrica, ut statuit Pius V. *Const.* 95. qui etiam

etiam *Const* 98. facultatem concessit revidendi, ac rescindendi quascunque bonorum Ecclesiasticorum alienationes malefactas, & aliquam ex iis partem fructuum Fabricæ applicandi, cum ampla facultate hujusmodi causas cognoscendi, ac etiam desuper transigendi vel componendi. Et *Const.* 97. dat facultatem exequendi omnia legata pia infra triennium non impleta, & ut Fabricæ applicentur pœnæ pecuniariæ, in quibus condemnantur, qui alienarunt bona Ecclesiæ absque solennitatibus; Item fructus ex bonis alienatis ab occupatoribus male percepti.

8. Præsident & Moderátor hujus Collegii constitutus est à Sixto V. Cardinalis Archi-Presbyter S. Petri, cui idem Pontifex concessit potestatem reformandi Officiales & Ministros, ac etiam cognoscendi causas, Judicemque deputandi. *Const.* 102. *Sixti V.*

9. Demum præter Ordinarios Officiales, qui partim Prælati, partim togati esse solent, ut sunt: Judex Ordinarius, Oeconomus generalis, Secretarius Congregationis, & Advocatus, instituit Clemens VIII. Congregationem Cardinalium tot, quot Pontifici videbuntur,

ur, quibus adjunxit quosdam Prælatos, nimirum Auditorem Camerae, Thesaurarium Generalem, unum Auditorem Rotae, & unum Clericum Camerae, aliosque Prælatos aliquot pro arbitrio Papæ. Hinc duo hoc tempore dicuntur esse in Curia Congregationes Fabricæ, una major & Cardinalitia cum modo dictis Prælati, & huic Congregationis Generalis nomen attribuitur, & pro negotiorum exigentia, non statuto & certo die convenire solet; Altera est minor & particularis constituta ex supradictis Officialibus, cujus caput esse solet Cardinalis antiquior Congregationis majoris, & frequentius haberi solet.

10. Exercet vero Congregatio hæc munus suum circa plurima: Primò exercitur dispositiones, quæ ad pias causas sunt factæ, ut suum sortiantur effectum applicando nonnullos fructus Fabricæ, quod opus loco aliorum operum, vel suffragiorum, quæ fieri debebant, potestate Apostolica succedit.

11. Secundo: Ut exigat sibi que applicet dispositiones ad incerta pia opera factas; Item legata pro certo quodam opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, facta. Tertio: Si Eccle-

fiæ, loca aut personæ, quarum favore dispositio facta est, ex instituto incapaces sint illorum Legatorum, puta si Capucini sint, aut Minores Observantes, aut Professi Societatis JESU eorumvè domus, tunc Fabrica dispositionem sibi applicat.

12. In utraque ergo Congregatione de duobus negotiorum generibus agitur, de contentiosis & œconomicis; Contentiosa habentur cum Defunctorum Hæredibus aliisque ad quos pertinet, circa dispositionum piarum executionem; Et cum Legatariis, qui incapaces censentur Legatorum aut hæreditatum. Oeconomica versantur circa directionem Fabricæ, circa salaria & rationes Ministrorum & operariorum, atque etiam circa debita expungenda.

13. Primum genus contentiosum hoc stylo & ordine in Urbe ejusque districtu tractatur: Causæ in prima instantia cognoscuntur in forma judiciaria more aliis judiciis consueto, per supradictum Judicem, & si forte is suspectus esset, deputatur aliquis ex Prælatiis hujus Congregationis à Cardinali antiquiori; Idem etiam servatur in prima & ulteriori instantia, si causæ sint appellabiles; Si vero  
appel-



appellationem non admittant, sed sint de jure executivæ, ventilantur coram Cardinali antiquiori, & si partes non acquiescant decisis in Congregatione particulari, deferuntur causæ ad Congregationem Cardinalitiam seu Generalem *De Luca Disc. 20. Rel. Rom. Cur.*

14. Nonnunquam etiam, si causæ sint graviores, committuntur illæ Rotæ Auditori, qui est de Congregatione, & quandoque alteri Auditori ejusdem Rotæ, per plures etiam instantias, & tunc, cum more causarum Rotalium disputentur, dicuntur quo ad modum causæ Rotalis.

15. Atque ita procedit hæc Congregatio Fabricæ, non attendendo præceptum Testatoris, ne Fabrica se dispositioni suæ immisceat. Licet enim Rota ante hæc deciderit, ejusmodi præceptum validum esse, & operativum, contra tamen determinavit hæc ipsa Congregatio, cujus Decretum Pontifex oraculo suo comprobavit. Contentiosa vero potissimum aguntur in hac Congregatione inter partes, quorum interest, & rarò habentur cum sola Fabrica, ob facultates & privilegia, quibus gaudet ad instar Fisci, *De Luca l. c.*